



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Ægrum patientem fieri, si suos dolores cu[m] inferni doloribus
co[m]paret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

generosus miles campum, aciem, conflictum; ita feruidus Deus seruus aduersa desiderat, quem Ducis sui praesentia & conspectus excitat, adiuuat exemplum & gratia; & putat se pro ignano haberi, si in praelia non mittatur. Conditoris honor est, seruos habere ita sibi subiectos & obediētes, ut non velint ab illo delicatē tractari; sed ei in asperis quoque adhaerescant. Gloria est Redemptoris, si serui illius nōrint inter tristitia esse lāti, &

2. Cor. 12. 10. cum Apostolo dicant: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo; libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitem in me virtus Christi; & eius gloria in me manifestetur.* Principum, Regū, Imperatorum honor est, si eorum statua & imagines multa in atrijs, & porticibus conspiciantur: ad eundem modum Seruatoris decus & ornamentum est, si in Mundo multa illius exemplaria numerentur; exemplaria autem sunt, qui cum Paulo gloriantur, quod *signata Domini IESU in corpore suo portant*; quique ipsos morbos & cruces, inter fauores, beneficia, & delicias, computent, ac *mortificationem IESU in corpore suo circumferant, ut & vita ipsius IESU manifestetur in eorum corporibus.*

X.

Hanc ob causam sanctus ille Eremita, cum vel vno anno non agrotaret, & affligebatur grauiter, & plorans dicebat: *Dereliquit me DEVS, & non visitauit me.* Noui etiam senem Religiosum, qui multis granibus iniurijs affectus, semper debili, vix autem vniquam valde agro corpore cum esset, metuebat, ne nimis parū, in terris pateretur, sed poena peccatorum sibi in futurum differretur. Quamobrem cum D. Augustino assidue orabat: *Hic ure, hic seca, ut in aeternum pareas.* Et sanē meritō optat hic vri, & secari, quicumque tremenda & horrenda illa Inferorum supplicia aspicit, ad quae omnes huius Mundi infirmitates, morbi, & cruciatus, & quaecumque poenae, vix umbra possunt appellari, siue de numero, siue de pondere, siue de mensura assumentur. Nam si numerum siue durationis & annorum, siue tormentorum, velimus comparare, quantumcumque morborum numerus in vnum agrotum infiliat, nihil tamen est ad numerum tormentorum, quae reprobos in Inferno expectant; sicut neque numerus annorum, quibus morbus durat, si cum numero seculorum

rum æternorum conferatur. Atque vt de numero morborum prius dicamus, Non sunt illi tam multi, vt eorum ratio non possit iniri, nec omnes in vnum hominem confluunt, cum sint multi inter se contrarij. In inferno autem est innumerabilis cruciatuum varietas ac multitudo, quæ etsi à Deo sit cognita ac numerata, à nobis tamen numquam satis potest numerari. Si enim Paulus dixit: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit DEVS ijs, qui diligunt illum*, quo modo *oculus vidisset, vel auris audiuisset, vel in cor hominis ascendisset*, id quod præparauit DEVS ijs, qui oderunt illum? Mente circumeamus per omnia nosocomia, xenodochia, leprofodochia, domosque ægrotorum; animo reuoluamus omnia volumina, in quibus morbi & morbidi describuntur; memoriâ perambulemus omnes regiones totius vniuersi, expendamusque, quidquid vspiam vique in terris dolorum, miseriarum, ærumnarum, calamitatum fuit; & deprehendemus, eas omnes apud damnatos, in vnum cumulum coaceruatas reperiri; adeò, vt multæ earum simul singulas miserandi corporis partes infestent; immò quemlibet sensum, & quamlibet damnatæ animæ facultatem; nullo omisso sinu, aut neglecta viscerum latebra, nullo præterito totius corporis angulo, qui non sit sulphure, igne, calamitate refertus. Quid quereris, ægrote? debilis, infirmus, imbecillis, defatigatus es? Infernum cogita, ibi nullæ sunt vires, nisi ad patiendum. Cogeris vigilare, & somno carere? Non sinet in Inferno dormire quemquam vermis conscientiæ; nulla erit quies, sed perpetuus labor & dolor. Dolent dentes? ibi erit *stridor dentium*. Dolent aures? ibi audies voces lamentantium, conuiciantium, blasphemantium. Dolent oculi? ibi dolebunt ex aspectu abominabilium monstrorum, ex tenebrarum horrore, ex fusione amarissimarum lachrymarum. Dolet caput totum? ibi totum corpus dolebit. Dolent latera & compunguntur? ibi dæmones latera tua candentibus fuscinis pungent. Dolent intestina? ibi ignis omnes medullas penetrabit, cruciat te podagra, calculus, hernia? ibi manus & pedes vinculis adamantinis constringentur, vt Prometheus agas: ibi renes, ibi vesica, ibi libidinis instrumenta tantum tormētorum accipient, quantum hîc in delicijs fuerunt.

Illiusus,

Luc. 16. 24.
Eccl. 1. 7.

Illosus, colicus, melancholicus es? ibi omnia interna tua ardebunt; ibi tristitia, merus, tedium, anxietas, ibi desperatio, ibi omnes Furia te lacerabunt. Sitis te exurit? cogita epulonem, vel vnam guttam aquae mendicantem, & non impetrantem. Vno verbo, sicut *omnia flumina*, aquae dulcis, *intrans in mare*, amarissimum, quod omnia absorbet, & tamen *non redundat*, ob suam immensitatem; ita morbi omnes, omnes huius vitae calamitates & dolores in Infernum confluunt; & sunt instar paruorum riuulorum aquae dulcis, si cum supplicijs Acheronticis, quorum amaritudo & multitudo immensa est, comparantur. Pone igitur juxta se, o aeger, immo o sane, Oceanum miseriorum Tartarearum, & riuulos tuorum, quos pateris, vel pati potes, morborum, & elige, vtrum malis, his, an illis cruciari? Et facile videbis, cur Sancti potius elegerint, aut optarint huius vitae morbos, quam futurae calamitates, eorumque exemplo & sapientia sapientiorum effectus, tu quoque, si in morbos incideris, patiens fies; aut si non incideris, discas timere, ne aliquid grauius, & magis formidandum te maneat, post bonos dies tuamque sanitatem.

XI.

S. Aug. serm.
109. de tem-
pore.

Nunc etiam numerum durationis, hoc est, dierum, mensium & annorum, quibus huius, & alterius, in inferno, mortis potius, quam vitae, solent poenae durare, inspicimus; inuenimus profecto, nimis verè à S. Augustino dictum esse: *Qua quisque patitur in hac vita, in comparatione aeterni ignis, non parua, sed nulla sunt.* In hac vita, pauci morbi, si graues sunt, diuturni sunt. Citò enim expediunt hominem morbi acuti & vehementes. Aliquando intra octiduum, quadriduum, triduum, biduum; aliquando die vno, aliquando intra paucas horas. Quòd si aliquae clementiores febres mensem vnum vel alterum, immo annum vnum vel alterum; si podagra, aut similia mala hominem decennio toto, sicut Troiam Graeci, aut etiam pluribus annis, obsident, oppugnant, tandem tamen deserunt, cum interimunt. Supplicia autem, quae sunt in Acheronte, & sauiunt maximè, & minimè occidunt; sunt enim semper duratura. O quae consolatio esset damnatis, si audirent, quantumuis vehementissimas poenas Tartarei incendij, post decennium, finem habituras! Sunt itaque non modò supplicia illorum innumera, sed etiam ipsi anni,